



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

104. An in dubio sapiat ne Sortilegium hæresim manifeste, possint
Inquisitores se intromittere? Ex p. 4. tract. 8. res. 112.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum. Ref. CI. &c. 453.

tenendum videtur, quia abjuratio quædam pœna est & condemnatio, ad condemnandum autem uterque requiritur, & ita credo esse, ut receptum apud Inquisitores & Episcopos. Si tamen coram uno illorum tantum facta esset, teneret, nec esset repetenda, quia expressè non est aliud sancitum. Ita Zanardus.

3. Itaque contra Castrum, si de facto contingeret Inquisitorem sine Episcopo, & è contra reum ad abjuratorem cogere, talis reus sic abjurans maneret subiectus stante dicta abjuratone ad pœnam relapsi, & ita hanc sententiam tenet etiam Farin. de heresi quest. 186.

7.9. concedo tamen non licere Inquisitoribus suspensum de heresi vehementer cogere ad abjurandum sine Episcopo, & ita tradit Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 16. Molina de just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 16. & alij; quidquid in contrarium sentiat Campegi. in addit. ad Zanchinum de heret. cap. lit. E.

RESOL. CI.

In Bulla Sixti V. contra Astrologiam judicariam obliget non solum in foro exteriori, sed in foro conscientie? Et an contra supradictos possint Inquisitores procedere? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 58.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docent Doctores, quos citat & sequitur Sanch. in sum. tom. 1. lib. 1. c. 38. n. 34. quibus ego addo Homobon. de exam. Eccl. p. 1. tract. 6. cap. 5. q. 22. Flavius Cherubinus in compen. Bul. tom. 2. conf. 17. Sixti V. schol. 1. Peirinum in privit. Minim. tom. 1. constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 24. & Farin. de heresi. q. 181. §. 1. n. 59.

2. Sed contrariam sententiam non minus probabiliter docet Suarez, Valentia, & Rodriguez apud Sanch. ubi sup. quibus ego addo Molfesum in sum. p. 1. tr. 11. c. 7. n. 120. Nald. in sum. ver. Astrologia. n. 4. & Raphaël de la Torre in 2. 2. q. 95. art. 5. disp. 2. fol. mibi 271. Et idem Homobonus, Peirinus, & Sanchez loc. cit. vocant tantum tuiorem, & veriorum sententiam affirmativam, quam ipsi tenent. Itaque secundum mentem horum Doctorum, Bulla Sixti V. lata est pro foro exteriori, unde quicquid licitum erat de jure antiquo prædicere ante dictam Bullam, & nunc etiam in foro conscientie, scilicet scandalo, erit licitum, quænam verò futura contingentia, & quomodo erant licita prædicere ante dictam Bullam, vide Cajet. in 2. 2. q. 95. art. 5. Valent. to. 3. disp. 6. q. 12. punct. 3. Deltium disqu. mag. l. 4. c. 3. q. 1. concl. 2. Tolet. in sum. lib. 4. c. 15. n. 6. & alios. Ego autem non damnarem illum qui hæc prædicet, sola tenuissima conjectura, & certitudine, qua sciri possunt per astræverum est quod his non obstantibus, contra supradictos possunt in foro exteriori DD. Inquisitores procedere. Vide etiam circa præsentem quæstionem Filliuc. tom. 2. tr. 24. cap. 4. n. 84.

RESOL. CII.

Notabilia quædam circa Bullam Sixti V. contra sortilegos in favorem DD. Inquisitorum? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 107.

§. 1. **N**ota primò non esse probandum quod aliqui machinati sunt prædictam Bullam non tribuere Inquisitoribus jurisdictionem super alias superstitiones, quam super divinationes, sique accipiant Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. c. 8. n. 92. est namque contra expressa Bullæ verba, quæ possunt intelligi quod committant eam jurisdictionem Inquisitoribus & Ordinariis cumulativè, simul tamen more aliorum delictorum, de quibus Inquisitores cognoscunt, siquidem verba tam & quam cum sensum patiuntur.

2. Nota secundò spectato jure dictæ constitutionis Inquisitores possunt & tenentur se intromittere in superstitionibus saltem sapientibus hæresim, etiam non manifestè, ut patet ex verbis Bullæ, in quibus eis submittuntur omnes incantationes, & similes superstitiones quæ verba saltem accipienda sunt de superstitionibus sapientibus hæresim, etiam non manifestè. Nam Pontifex addit, etiam si in plerisque his casibus procedere non valebant, &c. valebant autem in omnibus sapientibus hæresim manifestè: ergo, &c.

3. Nota tertio quod non spectat ad Inquisitores in prædicta Bulla terminis sortilegiorum, &c. cognitio Ref. seq. privativè ad Ordinarios, tum quia semper est in dubio evitanda juris correctio, tum quia dicta constitutio est odiosa Ordinariis, ergo jurisdictio per eam Inquisitoribus concessa restringenda est ad cumulativam, & omnia supradicta docet Emanuel de Valle de Moura opus. de enfal. & incant. sect. 3. c. 1. n. 4. 7. 8. ubi etiam notat quod Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. c. ult. n. 11 aliter, superstitiones puras, in quibus non est expressa suspicio hæresis, non pertinere ad Inquisitores, etiam per Bullam Sixti V. Sed hoc, ait Emanuel, cum distinctione accipiendum est. Si enim intelligat de illis quæ aliquo modo specificè, licet non manifestè sapiunt hæresim, displicet ob verba Bullæ. Si autem intelligat de nullo modo specificè sapientibus, placet, licet hæ rarissimæ sint. Ita Emanuel. ubi supra.

RESOL. CIII.

An Inquisitores per Bullam Sixti V. contra sortilegos cognoscant de sortilegiis omnibus privativè quoad Episcopos? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 119.

§. 1. **D**iximus supra per Bullam Sixti V. Inquisitores hodie cognoscere de sortilegiis etiam non sapientibus hæresim. Quæritur modò, an hæc cognitio sit illis tributa privativè quoad Episcopos? & respondeo negativè cum Joanne Francisco Leone Episcopo Thelesino in lib. de sortilegiis cap. 8. ubi sic asserit: Ex constitutione Sixti V. possunt Inquisitores cognoscere de sortilegiis, non tamen privativè quoad Episcopos, imò causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum Episcopi cognoscere, & nisi sapiant manifestè hæresim, absque Inquisitorum interventu illas possunt decidere; definire, & terminare, per textum in cap. accusatus, de heret. in 6. Et ita censuit sacra Generalis Congregatio Romanæ, & universalis Inquisitionis sub die 21 Decemb. ann. 1602. Quamvis enim per dictam constit. Sixti V. fuerit Inquisitoribus attributa jurisdictio cognoscendi de causis sortilegiorum, superstitionum, veneficiorum & incantationum, etiam quod alias de præmissis non cognoscerent. Non tamen fuit Ordinariis restricta facultas quin liberè in causis hujusmodi, ut prius, dummodo non hæresim manifestè redoleant, procedere possint cum id ex juris communis dispositione illis sit attributum. Ita ille, & alij.

RESOL. CIV.

An in dubio sapiat ne sortilegium hæresim, manifestè possint Inquisitores se intromittere? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 112.

§. 1. **A**ffirmativè respondendum est ex jure novæ constitutionis Sixti V. Difficultas est de jure antiquo, per cap. accusatus, in §. sane, & negativam sententiam docet glossa ibi, & alij relati ab August. Barbosa in collect. to. 3. l. 5. tit. 2. c. 8. n. 24. Et ratio est. Verbum post verbi. Sec. au.

positum manifeste in clausula restrictiva contenta in dicto *de sanè*, quæ observante Sylvestro *ver. Hæresis*, num. 4. non potest intelligi de dubio, an factum sit per tractatum, nec ne, sed in dubio an talia sapiant hæresim.

2. Sed contrariam sententiam jure, ratione, & usu comprobatam esse testatur Simanca in *catol. instr. tit. 30. num. 2.* & alij penes ipsum, quibus ego addo doctissimum & nunquam facis laudatum Archiepiscopum Bracharensem Rodericum Acugna in *tract. de Confess. solict. q. 5. n. 13.* & ratio est, quia judex etiam delegatus cognoscit, an sua sit jurisdictio. Deinde si contraria opinio esset sequenda, sequeretur quod Inquisitorum cognitio facile subverti posset, asserente quolibet sortilegia, vel divinationes non sapere manifestam hæresim. Dicendum est igitur quod in dubio an sortilegia sapiant hæresim manifestè, Inquisitores possunt se intromittere ad cognoscendum an sapiant manifestè.

RESOL. CV.

An Inquisitores possint inquirere, & punire eum, qui in sortilegiis misceat Sacramenta? Ex part. 4. tit. 8. Ref. 15.

Sup. hoc inf. in tr. 12. ref. 10. §. Ideo & lege etiā ibi §. Quæro, & seqq. & non pigebit.

AD quætionem respondendo Vmbertus Locatus in *praxi Inquis. ver. Sacerdos*, num. 4. docet, quod sortilegium in quo sacrum oleum misceatur, non sapit hæresim, nisi imploretur auxilium demonis ad ea, quæ de sui natura facere non potest. Et hanc sententiam tenet etiam Campegius in *addit. ad Zanchinum cap. 22. tit. C. in ver. Inquisitor. vers. pro his intelligendis, in fine.*

2. Verum cum communi DD. sententia hoc sortilegium sapere hæresim manifestam dicendum est, & ita docet Riccius in *praxi tom. 1. resolut. 22. num. 11.* Deltrius in *disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. Dico tertio.* Torrelanca de *magia lib. 3. cap. 7. num. 14.* Pegna in *direct. Inquis. part. 2. quest. 42. comment. 67.* Genuens. in *praxi Archiep. cap. 18. num. 11.* Zanardus in *direct. Theol. p. 3. cap. 64.* Raphael de la Torre in *2. 2. D. Thom. tom. 1. quest. 96. art. 4. disput. 2.* & Lucerna *Inquis. ver. sacramentis abuti*, ubi sic ait: Sacramentis abuti sapit hæresim, & Inquisitor potest punire tales abutentes, quando utuntur Sacramento Altaris ad faciendas incantationes, vel sortilegia, aut rebaptizando aliquem, ut dicitur in *glossa ver. sapienter, §. sanè, cap. accusatur.* Idem etiam esset quando fierent ista cum sacramento Chrismatis, aut aliquo aliorum Sacramentorum, quia faciendo mentionem de corpore & sanguine Christi & de Baptismo, consequens est, quod etiam intelligatur de aliis Sacramentis, quia de similibus simile est iudicium. Ita Bernardus Comensis author dictæ Lucernæ, cujus sententiam ibi in *annot.* approbat Pegna, & ut dixi, omnes communiter.

RESOL. CVI.

An Inquisitores possint punire eum, qui in sortilegiis misceat Sacramentalia?

Et quid, si admiscerentur verba Sacra, ut Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmus aliquis Davidicus, seu alia verba sacre Scripturæ, vel si miscerentur Reliquia Sanctorum, aut dissolverentur ad maleficia, &c. Ex p. 4. tit. 8. Ref. 14.

Sup. contra hoc inf. in hac Ref. inf. in tr. 12. ref. 10. §. Ideo.

Negative videtur respondendum ex sententia Torrelanca, qui in *lib. 3. de magia cap. 8. n. 15.* putat sortilegium cum mixtione sacramentalium

non esse hæreticale, & citat Ghirlandum de *sortilegiis*, q. 10. n. 15. & seq.

2. Sed hæc sententia, pace viri docti, mihi displicet, & ideo illam impugnant communiter DD. ut Sess. tom. 4. *decis. 463. num. 9.* & 464. num. 12. Bellocchius in *praxi Theol. mor. part. 2. cas. 1. num. 55.* Eloromus de *cas. reserv. part. 2. cas. 1. num. 49.* Zanardus in *direct. Theol. p. 3. cap. 64.* Genuens. in *praxi Archiep. cap. 18. n. 11.* Deltrius in *disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. Dico tertio.* Pegna in *direct. Inquis. part. 2. quest. 42. comment. 67.* Scaccia de *judic. lib. 1. cap. 12. num. 34.* Raphael de la Torre in *2. 2. D. Thom. q. 95. art. 4. disput. 2.* & alij communiter, asserentes non solum esse sortilegium sapiens hæresim manifestam, quando in illo adhibentur sacramentalia, sed etiam quando admisceruntur verba sacra: ut Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmus aliquis Davidicus, aut alia verba sacre Scripturæ, seu alie sanctæ Orationes, vel etiam imaginibus cereis, quas vocamus Agnus Dei, vel aliis rebus sacris, ut testibus sacerdotalibus & similibus. Et ratio horum omnium est, quia tales sortilegi admiscerentes supradictas res in suis sortilegiis, significant se credere hujusmodi adhibita habere vim ad maleficiorum operationem. Unde ex his videtur explodenda alia opinio Torrelancæ ubi *supra*, n. 16. asserentis non esse sortilegium hæreticale misceere reliquias Sanctorum, aut eas dissolvere ad maleficia, & ideo contrariam sententiam, & merito, tenet Raphael de la Torre, Zanardus & alij ubi *supra*, docentes mixtionem Reliquiarum efficere sortilegium hæreticale.

RESOL. CVII.

An Inquisitores possint punire sortilegos eos, qui præsentia, vel præterita occulta revelant, ut fortia, &c. Ex p. 4. tit. 8. Ref. 15.

Affirmativè respondet Simanca in *catol. instr. tit. 21. n. 15.* ubi sic ait: Illi præterita præsentia, vel præterita occulta revelant, qui non possunt, quæ ab eis tunc naturaliter sciri non possunt, ea enim demone suggerente novunt. Hi fere sunt, qui divinant, ubi sit res aliqua furto subrepta, & qui eodem die, quo aliquid gestum est in longe distantibus locis, id ipsi enunciant, ac si præsentis fuissent, qui quidem interrogandi sunt ab Inquisitoribus, unde talia noverint & confessi, vel convicti coercendi sunt, ut socij demoniorum. Ita Simanca.

2. Sed adversus illum insurgit novissimè Acugna de *Confess. solict. quest. 5. num. 34.* ubi sic asserit: Divinationes & sortilegia per se sumpta, etiam si pactum expresse, vel tacitum cum demone interveniat super his, quæ ab ipsis effici possunt, cuiusmodi est revelatio eorum, quæ nobis sunt occulta non pertinent ad Inquisitorum jurisdictionem, si nulla detur alunde admixtio hæresis, veluti demonis adoratio, aut manifestus sapor illius inducatur, veluti si consultatur, ad ea, quæ ipse per naturam suam scire nequit. Ita ille, qui citat plures DD. quos etiam sequitur Fatinaeus de *hæresi quest. 181. num. 54.* quibus ego addo Sigismundum Scaccia de *judic. lib. 1. caput 12. num. 40.*

Verum, his non obstantibus, ego adhæreo opinioni Simancæ, quia nobis omne cum demonibus commercium interdictum est, & hanc sententiam docet etiam Bartholomæus de Spina, insignis Theologus Dominicanus, & Magister sacri Palatii, in *Applog. 4. contra Ponzinibium*, ubi probat, quod absolute & sine distinctione dicendum est omnem invocationem